



IOACHIMI ERDMANNI ¹⁸
SCHMIDT, D. ^{1765, 9}

PRODECANI FACULTATIS IVRIDICAE

PROGRAMMA

DE

REPRESSALIIS IN CAUSSIS
LAESIONVM PACIS GVESTPHALICAE
NON PLANE ILLICITIS

QVO
CANDIDATI PRAENOBILISSIMI

GOTTHOLD CAMERARII,

SCHWARZBURGICI

DISPVATIONEM

DE

IVRIS DETRACTVS CVM IVRE
COLLECTANDI NEXV NECESSARIO

PRO CAPESSENDIS

SVMMS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

D. V. OCTOBRIS HABENDAM

INDICIT.

I E N A E

LITTERIS FELICIS FICKELSCHERRII.



§. I.



Auctis a. c^o r^o cc^o xviii religionis gravaminibus res tandem eo deducta est, vt repressaliis, quod aiunt, vt decernerent Evangelici. Initium illarum factum erat a Rege M. Britanniae Georgio Ludovico qui die iii Novembris c^o r^o cc^o xviii. templum Catholicorum Cellis claudi iusserat. Secutus est Fridericus Guilielmus Rex Borussiae et Elector Brandenburgensis, qui Monachis Hamerslebensibus, vt migrarent, edixerat. Quam aegre hoc tulerit Imperator, decretum Commissionis Ratisbonae die xii Aprilis c^o r^o cc^o lxx signatum, seu subscriptum edocet. 1) Multis contra repressaliarum usum vitur Augustissimus argumentis, quorum praecipua haec sunt, tum quod eiusdem corporis seu reipublicae membra repressaliis erga se invicem vt ipso iure nequeant: tum quod §us VII art. XVII. I. P. O. iubeat, ne vlli omnino statuum Imperii liceat ius suum, vi vel armis perfequi. Responderunt Evangelici 2) die xvi Novembris c^o r^o cc^o xx, et repressaliarum ius praecipue ex §o VI. articuli XVII. I. P. O. probarunt, quo cautum est, vt, si intra spatium trium annorum controversia propter laesionem pacis Guestphal. orta non terminetur, tunc omnes et singuli huius, id est Guestphalicae trans-

transactionis consortes teneantur arma fumere ad repellendam iniuriam.

1) von Schauroth *Conclusa corporis Evangel. t. II. p. 641.*

2) l. cit. p. 759.

§. II.

De hac equidem specie iudicium ferre non mihi fumo. Quid vero de quaestione, vtrum in causa gravaminum religionis in Imperio R. G. repressaliis vti liceat, generatim sentiam, rationibus expediam.

§. III.

In corrigendis laesionibus prius remediis vti mitioribus, quam ad bellum, vnum omnium acerbissimum remedium recurras, rationis praeceptum est. Frequentatum itaque a gentibus est, vt, si cui genti vel singulis apud aliam gentem ius denegaretur, res etiam innocentium eius gentis, quae ius denegaverat, auferrent, vel homines prehenderent, atque detinerent, donec ius redderetur.

§. IIII.

Prehensiones vel ablationes huius rei causa factas, repressalias seu pressalias a pressa, quod prehensionem significat barbaro vocabulo dixerunt. Rectius dici repressalias monuit Grotius l. III. c. II. de I. B. et P., quod Saxonum vocabulo Withername ad amussim respondet; sed non sat recte moneri ex eo liquet, quod Italarum pressa seu repressa idem quoque significet, quod Saxonum Withername, id est prehensionem, seu reprehensionem.

§. V.

Sunt ergo repressalia remedium iuris sui perfequendi inter gentesprehendendo vel auferendo, vt ius, quod denegatum est, reddatur.

Schol. Observa, repressalias tum pro iure repressaliarum, tum pro ipsis ablationibus et prehensionibus quoque vsurpari.

§. VI.

Ex his concludo

- 1) illi, cui ius armorum competit, competere quoque ius remediis vtendi bello mitioribus, veluti iure repressaliarum. Quod si ergo Statibus Imperii ex Lege Imperii ius datur in certo casu armis vtendi, vt in isto quoque casu iure repressaliarum vtiqueant, necesse est.
- 2) In regula ius repressaliarum non obtineri nisi inter gentes. Quod si ergo membris eiusdem societatis civilis seu reipublicae armis erga se invicem vtique conceditur, vis imperii tunc cessare intelligitur.
- 3) Ablationes vel prehensiones fieri, vt damnum reparatur, aut satisfiat. Ergo res ablatas facta reparatione aut satisfactione, esse restituendas cum omni causa.
- 4) Res etiam eorum, qui non laeserunt, vel contra quos ius denegatum non est, capi posse, si modo eiusdem societatis membra sint.
- 5) Ius denegari genti a gente, vel singulis ex gente. Singuli autem iure repressaliarum non gaudent, nisi ex auctoritate summi imperantis, vel eius, qui talis esse pro tempore intelligitur. Hinc illi, qui repressalias exercere volunt, litteris muniuntur, quae litterae de marque vocari solent.

6) Iur

- 6) Ius autem non solum denegatum intelligi, si plane nullum, nec intra tempus idoneum obtineri queat iudicium; sed etiam si in re minime dubia plane contra ius iudicatum sit.
- 7) Neque ius denegatum censeretur, quum, si ab inferiori iudice male iudicatum sit, superior, veluti Imperator in causa religionis adhuc adiri possit.

§. VII.

Applicari haec ad statum Imperii R. G. possunt principia. Cautum enim est §is V. et VI. articuli XVII. I. P. O., *vt omnes huius transactionis consortes universas et singulas pacis huius leges contra quemcumque sine religionis distinctione teneantur tueri et protegere, etsi quid eorum a quocumque violari contigerit, laesus laedentem in primis a via facti dehortetur, causa ipsa vel amabili compositioni, vel iuris disceptationi submissa, Veruntamen si neutro horum modorum intra spatium trium annorum terminetur controversia, teneantur omnes et singuli huius transactionis consortes - - arma sumere ad repellendam iniuriam a passo moniti*

Ergo ius armorum datur

- 1) Omnibus pacis Guestphalicae consortibus. Quinam vero excepto Imperatore, sint consortes in Imperio R. G., definit art. I. I. P. O., sunt scilicet Electores, Principes, Statusque Imperii.
- 2) propter laesionem pacis Guestphalicae.
- 3) si controversia inde orta, inera trium annorum spatium neque amice fuerit composita, neque in iudicium deducta decisa. Hinc, praeterito Imperatore, quamvis res apud alios per triennium haeserit, ad arma recurri non potest.

§. VIII.

Quum ergo Statibus Imperii intra hos limites competat ius armis repellendi iniuriam, consequens est, ut ius quoque habeant remedio in hoc casu utendi mitiori.

§. VIII.

Repressaliae sunt remedium bello mitius. Ergo Statibus Imperii in hoc casu competit ius utendi repressaliis propter ius, cuius causa Imperator tamquam summus pacis executor adeundus est, intra trium annorum spatium denegatum.

§. X.

Ergo praeceptum §i VII. art. XVII. I. P. O., quod nulli Statuum liceat ius suum vi vel armis persequi, ad repressalias ex mente §i VI. permissas trahi non potest.

Praefanda haec mihi erant, quum disputatio publica, quam pro capeffendis summis in iure honoribus habebit

PRAENOBILISSIMVS ATQVE CONSVLTISSIMVS
CANDITATVS


GOTTHOLD CAMERARIVS, *Schwarzburgicus*, mihi sit indicenda. Prius vero, quam id fiat, vitam quam vixit, studiorumque cursum, quem laudabiliter tenuit, verbis suis descriptum ex more maiorum edo.

Ego GOTTHOLD CAMERARIVS, *Schwarzburgicus*, natus sum Ringlebiae d. xxvii Iunii A. R. S. MDCCLXXXVIII. patre summe Venerando EPHRAIM GOTTHOLD CAMERARIO Philosophiae Magistro et ad aedes divino cultui consecratas Pastore, quem Deus per longam annorum seriem

seriem servare velit sospitem atque incolumem; matre autem CATHARINA SOPHIA HEMPELII S.S. Theologiae Doctoris et in vrbe imperiali Nordhusa Pastoris primarii filia, mihi proh dolor! praemature erepta. Privatis institutionibus praeparatus, Scholam Numburgensem senatoriam adii, ibique publicas et privatas lectiones Virorum Clarissimorum ac Doctissimorum MILCKII, SCHOCHERI, MEHMELII ac STAPHELII per duo fere annos frequentavi, sed ob calamitates belli tunc cum Lyceo provinciali, quod Francohusae floret, permittavi et Virorum eruditionis et doctrinae fama admodum insignium, ECKARDI, MANNISKII et GRAEFII doctrinis satis imbutus, academiam hanc Salanam scientiarum, quae altiores dicuntur, addiscendarum causa A. R. S. MDCCCLXI. mense Aprilis petii et a Viro Magnifico HELLFELDIO t. t. Rectore in numerum civium studiosorum receptus sum. Gloriarum mihi licet de praelectionibus frequentatis Virorum Illustrum, Excellentissimorum, Consultissimorum, Celeberrimorum et Amplissimorum, HELLFELDII, DARIESI, I. E. SCHMIDII, A. L. C. SCHMIDII, SVCCOVII, I. E. B. WIDEBVRGII, MOECKERTI, I. A. REICHARDTI et MULLERI, in Logicis, Mathematicis, Physicis, Philosophia morali et iure Nature, Institutionibus, Pandectis, Historia quam vocant universalem et imperii Romano-Germanici, Publico, Canonico, Feudali, Germanico, Criminali, Examinatorio, Disputatorio, Practico, Relatorio et Re diplomatica. Dei omnino gratia factum est, ut huncce studiorum meorum cursum per quatuor et quod excurrit annos feliciter peragere potuerim. Iam in eo versor, ut ab Illustri Ictorum Ordine summos in utroque iure honores ad normam statutorum adipiscar.

Nos

Nos igitur Candidatus noster adiit, et, ut ad consueta examina admitteretur, etiam atque etiam petit. Admissus virum se praestitit, dignusque, cui cathedra nostra aperiretur, a Collegio nostro iudicatus est. Loci dignitatem sub praesidio Illustris et Celeberrimi ACHATII LVD. CAROLI SCMIDII, Serenissimi Ducis Saxo-Coburgensis et Salfeldensis a consiliis aulicis, Professoris pandectarum, Curiae provincialis, Facultatis iuridicae et Scabinorum collegii Adfessoris, Collegae nostri coniunctissimi die v. Octobris attinget. Disputationi, ut Magnificus Academiae Rector, Patres Academiae venerandi, Hospites omnium ordinum honoratissimi, et Generosissimorum atque Nobilissimorum Commilitonum corona adesse non dedignentur, ea, qua par est, observantia nomine Ordinis mei rogo. P. P. sub sigillo Facultatis iuridicae in Academia Ienensi die iv. Octobris MDCCCXLV.







Jena, Diss., 1764-65


ULB Halle

3

005.360 706







IOACHIMI ERDMANNI
SCHMIDT, D.

PRODECANI FACVLTATIS IVRIDICAE

PROGRAMMA

DE

REPRESSALIIS IN CAVSSIS
LAESIONVM PACIS GVESTPHALICAE
NON PLANE ILLICITIS

QVO
CANDIDATI PRAENOBILISSIMI

GOTTHOLD CAMERARII,

SCHWARZBURGICI

DISPV TATIONEM

DE

IVRIS DETRACTVS CVM IVRE
COLLECTANDI NEXV NECESSARIO

PRO CAPESSENDIS

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

D. V. OCTOBRIS HABENDAM

INDICIT.

I E N A E

LITTERIS FELICIS FICKELSCHERRII.